

dum convenientiam nostram in dispositionem archiepiscopi nostri cedat. Vos autem marchiones nostros, Vuigbertum scilicet, Vuiggerum et Guntherium fidelitate nobis debita obtestamur et admonemus, ne quid in hac ordinatione archiepiscopo nostro in vobis obsistat, sed secundum dispositionem nostram et suam, ut vobis dixerit, fiat et quaecumque ab illo audieritis, nos velle sciatis. Ne vero iidem episcopi, qui ordinandi erunt, pauperes et villanis similes aestimentur, volumus caveatis, et consilio archiepiscopi et eorum, qui cum illo in natale domini erunt, episcoporum et comitum, qualiter sustententur inveniatis. Quicquid enim illis impenditur pro nostra deo salute offertur, vestraque pro hoc merces apud deum non minorabitur. Super haec domni episcopi Dudo et Dödolinus in archiepiscopi nostri electione volumus ut subscribant et fidem subiectionemque illi promittant. Et ut haec nostra vestraque post deum electio firma et stabilis perseveret, cartam vel noticiam hanc in ecclesia Magadaburgensi perpetua-liter permansuram, et eorum quae praediximus testem iugiter futuram scribi iussimus, quam et manu propria subtus firmavimus, et anuli nostri impressione signari iussimus.

Signum domini Ottonis (L. M.) magni et invictissimi imperatoris augusti (L. S.)

Nach dem Orig. im K. Geh. Staatsarchiv zu Berlin. Das aufgedrückte Siegel ist wohl erhalten.

Oft und mit vielfachen Abweichungen gedruckt, zuletzt in Monum. Germ. hist. ed. Pertz Tom. IV. (Legum T. II.) p. 561. — Leibnitii ann. imp. ed. Pertz III. S. 251. — Riedel cod. dipl. Brand. I. Bd. 2. S. 437. — Hasselbach cod. Pomeran. dipl. I. S. 59.

## No. 8. 970. März. April.

*Kaiser Otto I. eignet der Kirche zu Meissen den Zehnten in den Provinzen Dalaminza, Nisane, Diedesa, Milzsane und Lusize.*

In nomine sanctae et individuae trinitatis. Otto divina favente clementia imperator augustus. Noverint omnes fideles nostri praesentes scilicet et futuri, qualiter interventu dilectissimi filii nostri imperatoris augusti simul et Adalheidae carissimae coniugis nostrae quasdam res nostri iuris Misanensi ecclesiae, cui venerabilis Folcholdus episcopus praeesse dinoscitur, ob animae nostrae remedium in proprietatem concessimus. Hoc est tributum pars decima, quod in quinque provinciis, hoc est Dalaminza, Nisane, Diedesa et Milzsane et Lusiza, quicquid ad nostram imperialem utilitatem pertinere videtur, ut antea quam comes earundem regionum partem sibi a nobis concessam auferat atque distribuatur, decimas per totum et per integrum iam dictae sanctae dei ecclesiae persolvat, id est in melle, crusin[is], solutione argenti, mancipiis, vestimentis, porcis, frumento et ut inquirendis rebus quod vulgo uberchoufunga vocatur oblivioni admonemus ut non tradatur. Haec a pio genitore nostro imperatore augusto ita decreta atque sancita simul et iussa novimus. Quapropter ut haec suae simul et nostrae concessionis traditio deinceps firma stabilisque permaneat, cartam hanc conscribi ac nostri impressione sigilli iussimus consignari.

Signum domini Ottonis (L. M.) magni et invictissimi imperatoris augusti. Anno autem regni eius tricesimo quinto facta. (L. S.)

Uuillius cancellarius ad vicem Rodberti archicapellani notavi in Rauenna civitate.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden, mit aufgedrücktem, beschädigtem Siegel.  
Köhler cod. dipl. Lus. I. Anh. S. 1.